

Fidelitatis hactenus intemeratae ac sinceri erga Patriam et Gentem suam remque domesticam Amoris commonefacimus, et forti vos et inconcusso animo subque indubitata Paternae erga Fidelitates Vestras Sollicitudinis et Gratiae nostrae ac aduentantis sufficientis Subsidij et Suppetiarum spe esse Clementer jubemus, ut vel interea nemo Vestrum se paliatur seduci, quin potius unitis pro posse Viribus Vitae et Fortunis suis insidianti Hosti semet strenue opponere et in conseruanda Regni huius erga Majestatem nostram deuotione, omnem eam, quod auita Nominis Croatici gloria et existimatio ac sincera erga Regem et Dominum hactenus Semper contestata Fidelitas et deuotio, Patriamque suam amor et inclinatio exposcunt, operam impendere velint, nec intermittant Eadem Fidelitates Vestrae, integrum vicissim benignissimi Animi nostri affectum et Paternum desiderium, omnemque possibilem Consolationem experturae. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia iisdem benigne propensi manentes. Dabantur in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die octaua Mensis Februarij. Anno Domini millesimo septingentesimo quarto.

Leopoldus m. p.

Ladislaus Matyášovsky m. p.

Episcopus Nitriensis.

Ladislaus Hunyady m. p.

*In inferiori margine:*

Status Croatiae ad seruandam Majestati Vestrae Sacratissimae fidelitatem adhortantur et simul ut se Rebellibus opponant commonentur.

*A tergo:*

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs & Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Vniuersis Statibus & Ordinibus Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Regnorum nostrorum &c. Fidelibus nobis dilectis. Varasdinum per Graecium.

*(Sigillum Regium ab extus appressum.)*

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regal Congregationis a. 1704. Nr. 4.